



EObanus in Hassia natus & educatus fuit. Is cū felicissimo ingenio præditus esset, à pueris operam literis dedit, & in liberalium artium studio plurimūm progreslus fuit. In primis uerò arti Poëtices incubuit, & naturali quadam inclinatione adeò in ea profecit, ut carminibus condendis nulli suo tempore secundus esset. Itaq; in Erphurdensi Gymnasio omnibus innotuit, & Erasmo Roterdamo charissimus fuit. Postea ad Marpurgensem academiam peruenit, & inter artiū professores receptus est. Ibi cum studijs inuigilaret, & singulari dexteritate multos libros, & Poëmatum duas farragines ederet, eam scholam plurimūm exornauit,

& sua præsentia celebriorem reddidit. Vnde etiam principi Cattorum Philip po gratissimus extitit. Is inter alia, Homeri lliada Latino carmine expressit, atq; in eo opere uires ingenij declarauit, & 1540 Basileæ edidit. Pari ratione Dauidis Psalmos, cū Ecclesiaste & Proverbijs Salomonis, paraphraesticè uersibus conscripsit, libros 12 Epistolarum collegit, & multa alia huiusmodi ædedit, quibus nominis immortalitatem consecutus est. Erat is corpore robusto insignis, atq; uino plurimūm delectabatur, ita tamen ut personæ dignitatem tueretur, & tum potissimum ex tempore uarios uersus proferret. Cum hoc modo Eobanus omnibus doctis innotuisset, tandem obiit, & honestè apud suos sepultus fuit. Eras. in Epist. & Con.